MORTILOGIUM SANCTORUM
Salzburg (?), 1. Hälfte 15. Jh. Seite 22v
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8138
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek





et ego faciam te videre sponsum tuum qui pro amore tuo sanguinem suum fudit. Perveniens pater ut perficeret quod de boya ei visum fuerat. vidit subito filiam suam sanam. Que postmodum a sancto Alexandro baptizata et instructa in virginitate plena operibus bonis permansit. que tamen post devictum huius seculi cursum sepelitur iuxta patrem suum Quirinum martirem. In Affrica Nat. Anisi. Et depositio sancti Ambrosii episcopi. Et nat. vii virginum. Item Amos prophete. quem Ozias rex israel vecte per tempora transfixum necavit. et sic feliciter obiit.

Kl. Aprilis

91 G A Rome beatissime Theodore sororis illustris martiris Hermetis. quam beatus Alexander papa instruxit. baptizavit atque fidem Christi docuit. Que sub Aureliano imperatore martirium complevit. sepulta iuxta fratrem martirem. via salaria. non longe ab urbe roma. Eodem die sancti Venancii episcopi et martiris. Et in pago vimnoense sancti Walarici confessoris. cuius sepulchrum crebris miraculis illustratur.

92 April Natalis S. Ricecii episcopi lugdunensis. cuius etiam vita miraculis claruit. et preciosa mors nichilominus miraculis commendatur. Et apud cesaream cappadocie passio sancte Theodosie virginis. que tempore diocleciani cum esset annorum xviii. ultro se confessoribus sanctis in custodia socians. tenta ab urbano prefecto et in equleo cruciata. deinde ferro onusta et in carcerem trusa. ubi virtute dei omnia vincula eius disrupta sunt. Post hec saxo alligata in mare mersa est. sed in colomis mox littori reddita. bestiis in amphitheatro est proiecta. sed ab hiis intacta martirium capitis abscisione